

diligentia dispensat cum uno, dispensatio absque periculo aliqujus inconvenientis et periculi, ne ignota remaneant impedimenta potest ad alium extendi. » Confer ipsum Bossium et Doctores ab eo laudatos, cit. loco.

CAPUT VIII:

DE NATURA MATRIMONII.

§ 160.

DE DEFINITIONE MATRIMONII.

Matrimonium in utroque Jure definitur : « maris et foeminae conjunctio individuum vitae consuetudinem continens, » quam definitionem Theologi omnes amplexati sunt. « Matrimonium, » ait Catechismus Romanus, part. 2 cap. 8 n. 2, « ex communi Theologorum sententia definitur : viri et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuum vitae consuetudinem retinens. » Igitur matrimonium natura et origine sua contractus est, per quem masculus et foemina procreandae et educandae sobolis, ac mutui auxilii causa ad individuum vitae societatem indissolubili quodam nexu se obstringunt. Quamobrem natura et essentia matrimonii, si spectetur in sua causa efficiente sive *in suo fieri*, ut Scholastici loquuntur, sita est in ipso contractu seu consensu mutuo, quo vir et mulier ad eam vitae societatem se obligant, sibi que jus transferunt ad actus matrimoniales, non autem in usu ipsius juris seu in carnali conjunctione ; qua de re Julianus Pelagianus turpiter erravit, a S. Augustino correptus his verbis : « nihil aliud esse dicis nuptias, quam corporum commixtionem. » Nam matrimonium, ut ait S. Chrysostomus Hom. 32 in Matth., non facit coitus, sed

§ CLXI. DE MATRIM. QUAT. SACRAMENTUM. 333

voluntas : » et S. Ambrosius, lib. de Institut. Virginum cap. 6 refellens opinionem eorum qui inter B. Virginem et S. Josephum ideo putant verum matrimonium non exstitisse, quod nunquam coiverint, sic graviter pronuntiat : « Cum initiatur conjugium, tunc conjugii nomen adsciscitur ; non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. » Hinc utroque Jure recepta est regula : *nuptias non concubitus, sed consensus facit*. L. 30 ff. de R. J. can. 5 caus. XXVII q. 2. At vero internus consensus et pactio externa, quibus matrimonium efficitur, sunt actus transeuntes et momentanei : ipsorum tamen effectus seu vinculum quod eo contractu inducitur, perpetuo manet, donec conjugum uterque vitam vixerit. Quare natura et essentia matrimonii posteriori modo spectata, sive *in facto esse*, ut aiunt, in eodem vinculo, obligatione seu nexu quo mutuo conjuges obstringuntur, collocanda est.

§ 161.

DE MATRIMONIO QUATENUS SACRAMENTUM.

Matrimonium autem apud Christianos est etiam verum proprieque dictum novae legis sacramentum, quemadmodum Catholica Ecclesia semper docuit. Sed praestat inter caeteras Ecclesiae definitiones in medium proferre Canonem I Trid. Synodi in sess. 24 latum his verbis : « Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis a Christo institutum, neque gratiam conferre, anathema sit. » Ex quo Canone perspicuum est, non benedictionem Sacerdotis, nec quidquam aliud esse Sacramentum quod contractui accedat eumque sanctificet, sed ipsum matrimonialem contractum vere et proprie Sacramentum esse. Namque Concilium definit matrimonium esse Sacramentum ; nomine autem matrimonii nihil intelligi aliud potest, quam verus et unus matrimonialis contractus, nisi velis inepte dicere, matrimonii nomine ipsum

Sacramentum designari, ut sensus sit : Si quis dixerit Sacramentum matrimonii non esse Sacramentum, anathema sit. Itaque Doctores Catholici omnes mirifice sentiunt, matrimonialem contractum ad dignitatem Sacramenti evectum esse. Nonnulli de re una dissident, an scilicet contractus naturalis tantum, an vero civilis ad dignitatem sacramenti evectus sit ; sive quod magis quaestionem explicat, an Christus Dominus ad eam dignitatem evexerit contractum quemlibet matrimonialem, qui secundum naturales et divinas leges validus sit atque legitimus, an vero contractum civilem, qui scilicet non solum naturalibus et divinis legibus, sed legibus etiam civilibus et politicis ejus loci in quo contrahitur legitimus et validus habeatur. In qua quidem controversia facile in eorum sententiam adducti sumus, qui pro contractu naturali causam agunt. Etenim Synodus Trid. sess. 24 in doctrina de Sacramento Matrimonii postquam docuit, matrimonii perpetuum et indissolubilem nexum a primo humani generis parente Divini Spiritus instinctu pronuntiatum fuisse cum dixit : « Hic nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea ; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una ; » sic pergit : « Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret conjugesque sanctificaret, Christus ipse, venerabilium Sacramentorum Institutor atque perfectior, sua nobis passione promeruit. » Denique per ipsam Christi gratiam matrimonium, seu matrimonialem contractum in lege Evangelica ad dignitatem Sacramenti elatum esse concludit his verbis : « Cum igitur matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestat ; merito inter novae legis Sacramenta adnumerandum SS. Patres nostri, Concilia, et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt. » Quibus ex verbis duo maxime sunt perspicua : 1. quidem naturalem illum amorem et indissolubilem nexum, quo vir et uxor in Para-

diso terrestri ab ipso Deo copulati sunt, per Christi gratiam perfectum et confirmatum esse, conjugesque sanctificare. 2. Per eam Christi gratiam et sanctificationem matrimonium veteribus conjugii praestare, et merito inter Sacramenta numerari. Illud igitur matrimonium ad Sacramenti dignitatem evectum est, quod in Paradiso terrestri primum existit. Quid autem matrimonii illud fuit ? Nempe contractus naturalis et nulla ratione civilis, nondum enim civiles contractus ulli erant. Multa hujusmodi argumenta proferre possemus ex ecclesiasticis monumentis quibus docemur matrimonium, ut naturae officium vel naturalem conjunctionem dignitate Sacramenti auctam esse ; at nullus locus ex iisdem monumentis proferri potest, ubi matrimonium civile contractus appelletur. Verumtamen non diffiteor a privatis Doctoribus aliquando civilem contractum vocatum esse ; at nomen illud lato quodam sensu usurparunt, ut significarent matrimonium esse contractum civilem et sensibilem quem ineunt cives inter se quique civiles effectus parit, ut administratio bonorum uxoris, jura dotium, successio filiorum in bona et dignitatem familiae et hujusmodi. Hi vero effectus Sacramento extrinseci sunt, nec in essentiam et naturam matrimonii ingrediuntur, sed ex eo profluunt, postquam rite perfectum est. Quamobrem in matrimonio, quod civile et profanum est, Sacramento posterius est, ab eoque secretum et extraneum. Ex quo fit ut potestas civilis hujusmodi effectus moderari possit, quia nihil in eis attigit, quod ad essentiam et naturam Sacramenti pertineat.

§ 162.

DE DISCRIMINE MATRIMONIUM INTER ET ALIOS CONTRACTUS.

Qualis autem differentia sit inter contractum matrimonii aliosque contractus breviter explanandum est. Itaque natu-

ralis contractus matrimonii a civilibus et humanis contractibus praesertim differt : 1. quod matrimonium a jure naturali et divino originem et institutionem habet, eique a Deo ipso seu jus naturae explicante, seu legem positivam ferente quaedam conditiones, quales praecipue monogamia et insolubilitas, affixae sunt, in quibus matrimonium nulli subditur potestati quae divina inferior sit; caeteri autem contractus a jure gentium vel speciali jure cujusque nationis profecti sunt. Quin primaeva viri et mulieris conjunctio, cujus Deus auctor fuit, sanctissimi illius vinculi quo Christus cum Ecclesia sua copulatus est, mysticum signum praetulit, ex quo factum est, ut a SS. Ecclesiae Patribus ea matrimonia, quae ante legem Evangelicam iniri solebant, Sacramenta lato quodam sensu appellata sint, eoque nomine ipsa infidelium matrimonia honestata fuisse legimus. Sic Innocentius III cap. GAUDEMUS de Divort. haec habet : « Cum Sacramentum conjugii apud fideles et infideles existat. » Illud etiam animadversione dignum est, quod in humani generis diffusionem non solum apud Judaeos caeremoniis et ritibus sacris nuptiae celebratae sunt, sed etiam apud Paganos, quasi matrimonio divini aliquid inesse arbitrarentur.

2. Differt, quod consensus matrimonialis natura sua solutus, expers, et liber est ab alieno imperio, neque ulla potestate humana suppleri potest; repugnat enim fini seu mutuo amoris quo animos copulari oportet in matrimonio, ut sine proprio consensu ineatur; sed in caeteris contractibus quamvis spontaneus et liber postuletur, aliquando tamen publica potestas cogit cives vel invitos ad certum contractum ineundum, quin si nolint consentire aut nequeant, consensum ipsa supplet ut actus valeat.

3. Differt, quia matrimonium quod ad ejus validitatem spectat, a divina, naturali et Ecclesiastica lege, non tamen a civili, et Principum arbitrio pendeat, sicut civiles contractus reliqui; de quo in Jure publ. Ecclesiast. disputavimus.

4. Denique matrimonium a caeteris contractibus differt, quantum quidem res sacra profana; est enim invisibilis gratiae visibile signum, dum ad Sacramenti dignitatem elatum est, quo conjuges sanctificantur.

§ 163.

DE MATERIA ET FORMA.

Apud omnes Catholicos certum est, contractum illum qui matrimonium vocatur ab Ecclesia, esse materiam Sacramenti; est enim res sensibilis ex qua Sacramentum conficitur; quin ex Synodi Tridentinae definitione matrimonium ipsum est vere et proprie Sacramentum. Sed quia multa possunt in matrimonio distingui, videlicet : 1. mutuus nubentium consensus verbis aut signis expressus; 2. mutua corporum traditio; 3. nexus seu vinculum ex illo contractu resultans; 4. denique mutuum jus et obligatio in utroque contrahente ad debitum conjugale; idcirco in determinanda materia Sacramenti multum dissentiunt Doctores, dum alius aliam contractus partem seu proprietatem pro Sacramenti materia constituat.

Itemque de forma Doctores disputant, an in verbis vel externis signis contrahentium ponenda sit, an in verbis Sacerdotis qui contrahentes in matrimonium copulat. Verum haec disputatio ex alia quaestione pendet, quisnam Sacramenti Matrimonii Minister sit? Nam qui docent, ipsos contrahentes Sacramenti ministros esse, quorum uterque sibi, vel alter alteri illud administret, Sacerdotem autem auctorizabilem testem, ut aiunt, duntaxat esse, ejusque benedictionem caeremoniam ecclesiasticam quae ad Sacramenti essentiam non pertinet, consequens est, ut Sacramenti formam in contrahentium verbis aut externis signis collocent, quum omnium Sacramentorum forma per Sacramentorum ministros

apponatur. Contra autem ex eorum sententia qui putant, Sacerdotem non modo testem auctorizabilem esse, sed etiam Sacramenti ministrum, ita ut sine ipsius ministerio validus quidem et firmus matrimonii contractus, non tamen confici Sacramentum possit, plane consequitur, Sacramenti formam contineri his verbis : *Ego vos in matrimonium conjungo*, aut aliis aequivalentibus quae Sacerdos juxta receptum cujusque provinciae ritum adhibuerit. Itaque de Ministro Matrimonii dicendum erit.

§ 164.

DE MINISTRO MATRIMONII.

In hac quaestione gravissima duo sunt apud omnes explorata : 1. opinionem, quae solos contrahentes Sacramenti Ministros facit, unanimum esse veterum Scholasticorum sententiam, hanc enim propugnarunt fere omnes antiqui Theologi, Jurisque Canonici Interpretes, quae quidem in Theologicis doctrinis antiquitas summa est nota veritatis. 2. Eandem sententiam, postquam etiam nova opinio in medium prolata fuit, permansisse adhuc in Scholis communiorem. Quamobrem Tournely, quanquam Melchiori Cano adhaereat, ingenue tamen fassus est in Tractatu de Matrimonio : « Si ex auctoritate et numero Scholasticorum pugnandum hic foret, vinceret haud dubie opposita sententia. » Huic antiquiori et communi sententiae illud gravissimum argumentum accedit, quod doctrinae et praxi Ecclesiae mire congruat. Congruit doctrinae, quia Tridentini Patres sess. 24. cap. 1 de Ref. Matrimon. declararunt : « Clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non facit. » Si etenim nuptiae sine Sacerdotis praesentia celebratae vera et rata matrimonia existerunt, cum ex recepto a Sacris Canonibus loquendi modo ea tantum matrimonia dicantur vera et rata quae non solum contractus

sunt, sed vera et proprie dicta Sacramenta, fit inde ut illius Sacramenti ministri sint contrahentes et non Sacerdos; quandoquidem sine ejus praesentia et ministerio Sacramentum confici non potuisset. Congruit etiam praxi, quia matrimonia coram duobus testibus et Parocho, sed eo invito et reluctante, inita juxta contrariam sententiam essent valida quidem in ratione contractus, sed ob defectum Sacerdotalis benedictionis non essent Sacramenta. At Ecclesia aliter sentire videtur, ut multis verbis demonstrat Benedictus XIV de Syn. Dioeces. lib. 8 cap. 13 : « Ne sic copulati fideles perpetuo carerent gratia, quae in Sacramento matrimonii in contrahentes derivatur, deberet Ecclesia illos compellere aut saltem hortari, atque inducere ad suum contractum legitime, consuetisque adhibitis sacris ritibus iterum renovandum coram eodem Parocho, cujus verbis fiat Sacramentum, atque ob eandem rationem coram Sacerdote aut praeciperet aut saltem instaurari curaret clandestina conjugia in locis inita ubi Tridentini decretum non est susceptum. Cum autem neutro casu conjugii renovationem ab Ecclesia urgeri videamus, non temere inde conjicimus utrumque contractum, quanquam Sacerdotis benedictione non obsignatum, jam ab Ecclesia haberi pro Sacramento. » Huc etiam faciunt plures S. Congregationis Concilii declarationes, quas idem Pontifex cit. Oper. lib. 13 cap. 23, et Fagnanus in cap. QUONIAM n. 25 de Constitution. referunt, ex quibus perspectam habemus validitatem matrimonii coram legitimo Parocho et testibus celebrati, quamvis Parochus auctoritatem suam neque dicto, neque facto interposuerit. Jam vero declarationes istae matrimonium spectant, quatenus Sacramentum est : Congregatio enim de matrimonio non ut contractus pure humanus, sed ut Sacramentum est, sententiam rogabatur. Quin Petrus Ledesma apud Pontium de Matrim. lib. 1 cap. 8 affert ipsius Congregationis declarationem, in qua expressis verbis Sacramentum memoratur. Est autem declaratio : « Non pertinere ad substantiam matrimonii Sacra-

menti, ut Parochus aliqua verba proferat. » Quamobrem necesse est alterutrum affirmare, aut Sacerdotem non esse Sacramenti Matrimonii Ministrum, aut Sacramentum ab eo confici qui nihil agit, qui verba nulla profert, qui etiam repugnat et contradicit. Hoc autem posterius, quo Sacramenti Minister Sacerdos esset nihil verbis aut factis administrans, imo celebrationi Sacramenti ipsius apertissime repugnans et contradicens, adeo ab Ecclesiae doctrina rectaque ratione alienum et absonum est, ut nihil videatur esse absurdius.

Verum facere non possum, quin hic memorem declarationem ejusdem S. Congregationis Concilii in *Tricanensi* 27 Martii 1632. Rogata Congregatio, quemadmodum matrimonium valide contrahi posset, ubi Tridentinum publicatum sit, sed Parochialis Ecclesia proprio Parocho, et Cathedralis Episcopo careat, et Capitulo habente facultatem delegandi alium Sacerdotem, nullusque alius ibi sit, qui Parochi vel Episcopi vices suppleat: « Censuit valere matrimonium absque praesentia Parochi, servata tamen in eo in quo potest forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. Si vero existat quidem Parochus vel Episcopus, sed nullo constituto Vicario et uterque metu haereticorum lateat, ita ut vere ignoretur ubi nam sit, vel eodem metu a Dioecesi absit, nec ad alterutrum tutus sit accessus, validum quoque esse matrimonium contractum absque forma S. Concilii Tridentini adhibitis tamen duobus, uti dictum est, testibus. » Jam vero declaratio spectat matrimonium secundum formam Tridentini contrahendum, nimirum quatenus Sacramentum, nec tamen in iis rerum circumstantiis praesentia et ministerium Sacerdotis ad ejus validitatem postulatur. Quid apertius, quid luculentius dici potest pro sententia quam tuemur?

Denique Eugenius IV, in decreto pro instructione Armenorum, haec habet: « Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiae secundum Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est; ego

autem dico in Christo et Ecclesia: Causa efficiens matrimonii est mutuus consensus per verba de praesenti regulariter expressus. » Sed Eugenius profitetur se Sacramentorum doctrinam Armenis tradendam assumere; non meminit autem Sacerdotis, sed simpliciter tradit, matrimonium effici consensu mutuo per verba de praesenti. At vero meminisse Sacerdotis, si Sacramenti Minister esset, oportebat omnino; aliter enim instructio Pontificis manca et imperfecta fuisset in re quidem substantiali, unde Armeni in errorem trahi, aut saltem in graves dubitationes potuissent. Restat igitur, ut Sacerdos, et verba ab ipso prolata ad Sacramenti Matrimonii essentiam non pertineant, nec ipse Sacramenti Minister habendus sit.

Multa quidem argumenta sunt, quae Melchior Canus ejusque asseclae contra proferunt, sed ea singillatim diluunt Bellarminus lib. 1 de Matrim. cap. 6 et seqq., Billuart de Matr. cap. 6, Pontius cit. lib. 1 cap. 8, alique sexcenti.

§ 165.

DE CONSENSU MATRIMONIALI.

Vulgo traditur matrimonium consensu perfici, quo significatur caetera omnia irrita esse, si consensus utriusque conjugis defuerit. At quanquam consensus matrimonium vere efficiat, non tamen solus sufficiens est. Nam matrimonium non valide contrahitur, nisi consensus ipse coram Parocho et tribus vel duobus testibus exprimatur, ipsique contrahentes omni impedimento careant, quemadmodum infra explicabimus. Ad licitam vero celebrationem praeter haec omnia requiritur etiam, ut contrahentes impedimento impediendi non laborent, et observent quae ad dignam ejus celebrationem ex Ecclesiae statuto pertinent, seque disponant ad gratiam Sacramenti suscipiendam.

Consensus autem utriusque per verba de praesenti exprimi

debet, et quanquam nutus aliaque signa externa aperte consensum exprimentia, in iis etiam qui loqui possunt, ad matrimonium contrahendum absolute sufficiant, tamen ubicumque est praescriptum Parochis, ut dum benedicunt assistuntque nuptiis, consensum verbis exprimendum a conjugibus requirant. At sive vir et mulier simul consentiant, sive unius praecedente consensu ac permanente consensus alterius subsequatur, tum demum matrimonium perficitur, quum consensus utriusque adfuerit. Quare contrahi potest non solum inter praesentes, sed etiam inter absentes per procuratorem, dummodo: 1. procurator speciali mandato ad contrahendum cum certa persona instructus sit; 2. mandatum ipsum per se impleat, servetque tam omnes ejusdem mandati limites, quam Tridentini legem de contrahendo coram Parocho et testibus; 3. denique mandatum eo tempore, quo nomine mandatis contrahit, revocatum non sit.

§ 166.

DE CONSENSU SIMULATO.

Cum itaque consensus contrahentium in primis nuptias faciat, ubi amborum aut unius consensus deficit, nuptiae nullae sunt. Potest autem consensus deesse, vel quia per errorem, vim, metumve, aut sine debita cognitione datus est, de quibus in exponendis impedimentis dicendum erit, vel quia contrahens ex propria malitia simulavit consentire et contrahere, vere tamen et ex animo non consensit. Hoc posteriori casu exploratum est, matrimonium non valere, quia non verba externa aut eorum sonitus, sed animus et voluntas sese obligandi, sive verus consensus internus matrimonium efficit. Nemo autem dubitat, quin is qui non consensit, gravissime peccaverit, et peccato injustitiae in contractu, et peccato sacrilegii in Sacramento, atque in utroque foro teneatur prae-

stare consensum. Interim Ecclesia consensum hunc seu verbis, seu signis certis et claris sufficienter exploratum tamdiu verum esse praesumit, quamdiu contrarium evidenter non probetur neque credit contrahenti, quamvis juramento confirmet se fecte consensisse: « cum nimis indignum sit juxta legitimas sanctiones, ut quod sua quisque voce protestatus est, in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare, » ut inquit Innocentius III in cap. PER TUAS 10 de Probat.; secus enim divortii et adulterii via aperiretur, dum quem propriae uxoris poeniteret, facile posset fictionem consensus allegare, ut sibi fas esset alias nuptias convolare.

At casus magis perplexus est, si is qui cum una fecte consensit, cum altera vere et sincere consentiret. Doctores numero pauci se ab hac difficultate facile expediunt, dum asserunt, eum vere contrahere qui serio et libere externa profert signa et verba, quibus matrimonialis consensus exprimitur, quamvis habeat statutum animo non contrahendi sed decipiendi. Ostentant auctoritatem Magistri Sententiarum, qui dist. 27 sic loquitur: « Si autem verbis explicant quod tamen corde non volunt, si non sit coactio ibi vel dolus, obligatio illa verborum quibus consentiunt dicentes: accipio te in virum, et ego te in uxorem, matrimonium facit. » Hujus autem sententiae argumenta sunt, quod fraus et dolus nemini debeat patrocinari, quodque omnia propemodum matrimonia incerta forent, aut saltem in controversiam et discrimen adducerentur. Verum hae rationes alicujus momenti essent, si de humanis contractibus ageretur, in quibus civilis auctoritas potest consensum praecipere vel supplere, licet non desint Auctores qui generatim de omni contractu pronuntiant, secluso damno, aut injuria, aut scandalo, nullam obligationem parere implendi quod ficto animo polliciti sumus, quum omnis obligatio privata ex hominum voluntate consurgat. Hac tamen quaestione in medium relicta, exploratum est dissimilem profecto esse rationem matrimonii at-

que aliorum contractuum, tum quia matrimonium non modo corporum, sed etiam animorum conjunctio est, tum quia consensus matrimonii nulla potestate suppleri valet. Itaque dubitandum non est, quin matrimonium simulato animo initum nullum sit, idque confirmatur etiam ex cap. TUA NOS de Sponsal et Matr. Quamobrem in allato casu primum matrimonium fide initum non consistit, sed alterum omnino valet. Ecclesia tamen quae judicat secundum acta et probata, censuris etiam compelleret ad cohabitandum cum ea, quaecum prius matrimonium contractum fuit. Quare fit, ut simulator, si fictionem in foro externo probare nequeat, neutro matrimonio uti potest; non primo, quia defectu consensus nullum fuit, ac potius debet quodvis sustinere incommodum ac etiam excommunicationem quam per carnale commercium peccatum operari; non secundo, quia ob Ecclesiae prohibitionem ab ejus usu et habitatione penitus removetur. Sed illud merito sibi imputet.

§ 167.

DE CONDITIONIBUS MATRIMONIO APPOSITIS.

Matrimonia ob Sacramenti reverentiam et plurium incommodorum pericula pure et simpliciter celebranda sunt, neque a Parochis ferendum est, ut coram se sub ulla conditione ineantur. Attamen nec Sacri Canones, nec ipsa natura matrimonii omnino impediunt, quominus consensui matrimoniali quaedam conditiones apponantur. Conditio autem communiter definitur qualitas dispositioni seu actui adjecta, dispositionem ipsam seu actum in dubium futurum eventum suspendens, ex. gr. *contraho tecum, si navis ex India venerit*. Igitur « vera conditio in futurum concipitur; nam quae in praeteritum aut praesens tempus concipitur, figuram, non vim conditionis continet, » ut loquitur L. 6 ff. de Haered. instit. Quamobrem si matrimonium sub conditione in praesens

aut praeteritum tempus concepta ineatur, veluti *contraho tecum, si Pater tuus Consul fuit, aut Consul electus est*, statim matrimonium ipsum aut ratum, aut nullum est; quae enim jam certa sunt, licet apud nos incerta, obligationem non morantur, videlicet vel conditio existit, et consensus adest; vel non existit, et consensus deest: tantummodo suspenditur matrimonii usus donec exploratum fuerit, an conditio reapse existit, vel non existit. Pariter conditiones necessariae, seu in sua causa determinatae, matrimonium non suspendunt, quia pro existentibus jam habentur, uti *contraho, si sol cras oriatur, aliaque hujus generis*. Denique generales illae conditiones, quae omni contractu continentur, veluti *ducam te, si vixerimus, si Deus voluerit, vel quae matrimonio intrinsecae sunt, veluti ducam te si non sis consanguinea mea, si non sis matrimonio jam copulata, vim et effectum conditionum non habent, sed matrimonium confestim valet si aliud impedimentum non exstiterit*.

Igitur superest ut solae conditiones de futuro contingenti contractum matrimonii et consensum ipsum conditionatum efficiant, ac in incertum conditionis exitum suspendant. At conditiones hujusmodi aut honestae et possibiles sunt, aut turpes et impossibiles. De conditionibus turpibus et impossibilibus celebris est Decretalis Gregorii IX in cap. *SI CONDITIONES de Condit. appos.*, cujus haec verba sunt: « Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri: *contraho tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiozem, aut si pro quaestu adulterandam te tradas: matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu; licet aliae conditiones appositae in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjunctis haberi.* » Jam vero in hac Decretali duo a Pontifice distinguuntur genera conditionum turpium: primum earum quae sunt contra substantiam matrimonii; alterum vero illarum